

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis  
Farrago**

**Melanchthon, Philipp**

**Basileae, 1565**

**VD16 -M3220**

Reuerendo uiro,D. Georgio Buchholtzero,amico & fratri suo charissimo

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](#)

Vnde mittes ad D .Paulum Knot, qui tuam sententiam  
 Flandro illi 10 anni indicabit. Mitto domino Hiero-  
 nymo Staud exiguum xenium: interdum typogra-  
 phus fuit negligentior: id ut boni consulat, rogo.  
 De Marchicis Ecclesijs bene spero: ac oro Deum,  
 ut earum adiuuet instauracionem. Tuum erit, pa-  
 triæ non decesserit. Islebius pollicetur, se nunquam à sen-  
 tentia Ecclesiæ Vuitebergensis discessurum. Ac il-  
 lustriſsimus Princeps Elector pio studio horta-  
 tur eum ad placandum doctorem. Audio fu-  
 rum esse conuentum Vuormacie, in quo instituen-  
 da est deliberatio de conciliandis Ecclesijs. Vi-  
 nam Deus slectat Principum animos ad gloriam  
 Dei ornandam, et ad salutarem concordiam. Tuq[ue]  
 pro Ecclesia uota facito. Ego post paucos dies su-  
 scipiam iter, quod felix & faustum fit. Bene uale.  
 Die 10 Decembris, 1540.

Reuerendo uiro, D. Georgio Buchhol-  
 tzero, amico & fratri suo cha-  
 rissimo,

S. D. Reuerende uir, & charifime frater. Hac  
 hora longam eruditii hominis narrationem de fon-  
 te Saxonico accepi, qui adfirmat lauationē extrin-  
 secus prodeſſe contra ulcera, non corroborare ner-  
 uos: haec congruit cum natura r̄is ὥx̄as. Sed intra  
 corpus bibendo nocet: et audiui exempla duorum,  
 quibus

quibus eius fontis potus nocuit. Mittam illam de-  
scriptionem, quam iam accepi. Nunc mitto exem-  
plum commentarij Epistole Pauli ad Romanos,  
quod uelim à uobis, ut à iudice, legi: et me mone-  
ri, sicuti extra viam curro; sicut istuc interdum in-  
suauiter de uobis iudicatur. Doceri nos malē. Mit-  
to et capita proximae disputationis, cui ut intexer-  
emus aliquid de Mediatore, occasionem præbuit  
contentio Pragensis. Nam Pragæ quidam Canisij  
socij reprehendunt hanc formam: Fili Dei Iesu Chri-  
ste intercede pro nobis apud eternum Patrem. Et  
contendunt, Christum tantum ut Deum datorē bo-  
norum inuocandum esse. At Cyprianus inquit ex-  
presse, pagina 505. O' fili Dei, Domine noster Iesu  
Christe, peto ut petas, ut detur mihi, &c. Inspice lo-  
cum, & quæc plura exempla, & mihi significa-  
to uestra iudicia. Epicedion honestæ matronæ  
coniugis reuerendi D.N. rectè scriptū, curabo his  
diebus edi, Bene uale. Die 23. Maij, Anno 1556.

Clarissimo uiro D. Antonio Musæ, pasto-  
ri Ecclesiæ Rochlicensis, amico  
suo charissimo,

S. D. Gratiam tibi habeo, doctissime et opti-  
me domine Antoni, quod tam amanter significasti  
perpetuan bencouletiam tuam, et in amicitia con-  
stantia, maximè dignam uiro docto, et in ijs studijs  
uersanti,